Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 539
Quelle:
Copyright:

primus &c. Lineae saepe *Glossis* interstinguuntur, sed Textus jam ad C. V. abrumpitur.

XXII. *fol.* 187. Doctrina Temporum olim *Computus*, *Compotus* dicta, quae incipit: *Circa inicium computi notandum. Scientia stellarum ex te et ex illis. sic scribit ptholomeus Doctor astronomie egregius* &c. In confinio Sec. XV. et XVI. saepius impressa hic fine truncata est.

XXIII. *fol.* 200. Post Expositionem *Orationis Dominicae* sequuntur *Homiletica* quaedam in varios Scripturae textus magnam partem imperfecta.

XXIV. *fol.* 217. Tractatulus de *Rhetorica*, seu potius scribendis Epistolis, cujus ingressus: *Imitantes vestigia aristotelis dicentis Melius est pauperem ditari quam philosophiam* &c. Succedunt brevibus Praeceptis Exempla, videlicet Epistolae, in quibus cum Nomina *Job. Renner*, *Cunradi Hirtenberger*, *Job. Nottunst* &c. Urbes *Ratispona*, *Sulczpach*, *Cham*, et annus 1432. occurrant, fictas non censeo, irata tamen Minerva a Didascalo quodam collectas.

XXV. *fol.* 229. Sermo germanicus prolixus de S. Spiritu, ejusque VII. Donis, absque inscriptione sic orsus: *Ir liebste in got der heylig geist der wiert noch hewt vnd tägleich gemainikleich gesandt vnsichttikleichen einem yeglichen frummen menschen der sich darzu beraitt* &c.

XXVI. *fol.* 253. Sermones VI. eadem lingua in totidem Quadragesimae Dominicas, quorum I. infit: *Nun wil ich erczelen vnd sagen vier übl die da chöment aus czwitracht vnd mishelung* &c. *Septem* Filias vanae gloriae statuit Orator noster. De *tribus* prioribus ante Quadragesimam tractasse videtur. Hic *quartam* et *quintam* Dissensiones videlicet et Contentiones persequitur; Dominica vero Palmarum ait, se *sextam* et *septimam*, irrisiones nempe (*traczmuetikait*) et curiositatem (*furbitzikait*) dilaturum, acturumque de Historia Evangelii et digna ad S. Coenam praeparatione. Multa hic Vocabula antiquata: *Varicht* pro *Furcht*. *Daigen* pro *Diesen*. *Jach* pro *Bekannte*. *Prechen* pro *Gebrechen*. *Widerczam* pro *Widerspännstig*. *Tar* pro *Thöricht*. *Weyczen* pro *Fegefeuer* &c.

Fol. 198. hujus Farraginis legitur: *Iste liber Prantlini fuit pie memorie. Et Paulus Plebanus in Regen adhuc quam plures habet. Cujus attestatur Petrus Serttman de Osterhofen Rector in Viechtach.* Unde e *Bavaria* huc adlatam oportet.

CCXCIV.

Codex membraneus lat. in confinio Sec. XII. et XIII. scriptus Folior. 138. f. per duas columnas charactere grandi elegantissimo, quamvis non una manu, rubricis distinctus et olim *Montis Pomerii*, vulgo *Baumgartenberg* Ord. *Cist.* in *Austria* super. sequentia servat: I. Fragmentum *Libri II. de Cain et Abel S. Ambrosii* a n. 31. R. 3060